

ANNOTATA ANTI-GROTIANA

am quis absolvitur, vel damnatur, quod soli Deo competit, & *judicium probationis*, quod unusquisque de se institere possit, utrum in fide sit
 2. Cor: XIII. 8. Parens ex operibus, ait, *nemo statuere potest legaliter*, quia
 quando & in quantum sufficient in Dei iudicio, operum merita cogno-
 sci à nullò mortalium potest; Rabio est, quia pronunciante Christo,
*cum omnia fecimus servi inutiles sumus. Fides verò esse ait idem, non mere-
 ri salutem, sed justiciam gratis accipere* A&: XXVI. 18. Et qui credit,
 eum non nescire nec dubitare, sed novisse sentire, ac videre se credere,
 secundum August: L. XIII. de Trinit: 6. 1. Quia fides motus cordis est &
 ἡ ἀληθινὴ πίστις. 1. Col. III. 21. Rom: II. 16. B. Hülsemannus. iudicat vi subje-
 ctæ materiæ sermonem esse de justificatione seu sententia absolutoris
 non coram Deo, sed coram die humano; sed in hoc justificatus non sum: q. d.
conscientiam innocentia sibi non aliis fidem facere: sed simplicior videtur
 prior explicatio quod sibi quidem nil conscius fuerit Apostolus de ne-
 glecto vel perperam administrato officio: Tamen cum nemo sciat
 quoties peccat; sed rogare opus habeant omnes cum Davide: *Ab occultis
 libera me Domine Ps: XIX, 13.* eo ipso nondum justificatus sit coram
 Deo. Si autem ne statuere quidem habuit Apostolus de omnibus, quæ
 in officio suo exequenda erant annè alicubi vel nescius defecerit, atque
 ideo quod sciens prudens, teste conscientia, nihil adversus fidem mu-
 neris egerit, se minime justificari coram Deo, quanto minus ita iudica-
 re de vita sua universa potuit, aut statuere se per innocentiam vitæ suæ
 justificari. Nec enim per conscientia certitudinem, sed per fidem iustifi-
 camur. Cum conscientia omnibus nobis dicat nos esse peccatores, &
 carere gloria Dei: Fides contra nôrit, nos gratis justificari sanguine
 Christi.

v. 5. ὅτι μὴ πρὸς καίριον τι κρίνεται.

Hoc maximè adversus eos detorquet, qui cum Christi & Petri di-
 scipulos se dicerent, Paulum accusabant tanquam inimicum Judaicæ
 gentis: Quam culpam magno ubiq; studio à se amolitur Paulus.

Id verò nullo apparet indicio quod talem apologiam hic instituat
 Paulus, ne videatur Judaicæ gentis inimicus. Reprobavit in genere
 iudicia Corinthiorum de sese, tum ob *futilitatem*, quia vana & huma-
 na vel carnalia sint; tum ob *temeritatem*, quia ne quidem ipse qui recti-
 us se novit, quàm alii, sese iudicare ausit in factis suis, coram Deo, & si